

www.e-rara.ch

... Observationes historicae miscellaneae

Iselin, Isaak

Basiliae, [1754?]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: Diss 367:4

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-7340>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

OBSERVATIONES HISTORICAE MISCELLANEAЕ,

QVAS
EX DECRETO

AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI
OCCASIONE

VACANTIS HISTORIAR. CATHEDRAE

Ad D. XXVI. Iunii, CIO MDCC LIII. H. L. Q. S.

RESPONDENTE

FLORENTISSIMO IUVENE

IACOBO AMADEO ISELIO,

PHILOS. LAVR.


PVBLCO EXAMINI SVBMITTIT

ISAACVS ISELIVS,

I. V. L.



B A S I L I Æ,



Typis EMANVELIS THVRNEYSSEN.



HISTORICAL OBSERVATIONS
MISCELLANEA

TYPE

IN DECEMBER

AMERICAN SCIENCE

CONGREGATION

VACANT HISTORICAL CATHEDRAL

AND THE CITY OF NEW YORK

ST. ANDREW'S

PROTESTANT CHURCH


JACOB A. A. A. A. A.

THIRD EDITION

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASACVS ISILLVS


1853



B. A. S. I. A.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY



OBSERVATIONES HISTORICAE MISCELLANEAЕ.

§. I.



Votquot quis attentius, atque cum
ea quae philosophum atque pru-
dentem lectorem decet perspicacia,
historicorum libros perlustraverit,
non poterit non obferuare esse eos
fere totidem in humani generis
dedecus erecta monumenta. * Do-
cent quippe nos saniorum philoso-
phorum libelli ad felicitatem, vir-
tutem, modestiam, prudentiam,
iustitiam, temperantiam, natos esse homines; imperium
iustis,

A

iustis, piis, castis, fortibus, magnanimis, sanctis viris deberi, quibus modestos, bonos atque probos ciues parere deceat. Praeter pietatem, morum sanctimoniam, veritatem atque virtutem sacerdotibus atque philosophis nil curae cordique esse debere. At si cum hisce hominibus, quos nobis philosophi depingunt magis quam praestant, eos conferas quorum mores, ingenia, & facta historici scriptis suis ad posteritatem transmiserunt, heu quantam inuenies differentiam! Qui eorum, qui nulli alii rei, nisi veritatis atque virtutis studio operam dare debuissent, gesta atque inuenta scriptis suis celebrauerunt, tot fere eorum deliria, tot somnia quot opiniones nobis narrant, insolentesque & ineptos mores potius quam virtutes & egregia facta nostrae admirationi proponunt. Qui vero gentium & imperiorum historias tradiderunt, annon illi tot fere facinora quot facta nobis exponunt! Quod si apud eos qui sanctissimae atque diuinae nostrae religionis fata descripserunt homines quaeras, qui innocentia, castitate, morum sanctimonia, modestia, charitate, spe atque fide, & humanae naturae praestantia & sanctissimae religionis excellentia dignos se praestiterunt falleris magnopere. Vix enim elapsis apostolorum & apostolicorum virorum temporibus haereticorum & orthodoxorum foedis & pudendis diffidiis dilacerata, sceleribus, criminibus, sacerdotum atque monachorum auaritia, cupiditate, ambitione polluta atque maculata est ecclesia, & eo corruptionis processit, vt qui ei praeessent in ipso hoc eius misero statu maximum rerum suarum firmamentum ac robur repositum crederent, nec vnquam vellent iis, qui his malis vt obueneretur omnem lapidem mouerunt, dicto audientes esse, sed omni studio contenderint ne ipsi alique meliores fierent.

* Qui lit l'histoire lit la satire de l'homme de Bar.

§. II.

Non tamen adeo iniquus sum in genus humanum, ut non summa cum voluptate, quae de bonorum magnorumque virorum virtutibus narrant historici amplectar. Scio equidem & cum omnibus probis cordatisque viris doleo, esse nostro saeculo homines qui nullibi nisi in philosophorum libris extitisse virtutes & adferere & optare haut erubescunt. At his adsensum praebere nulla ratione possum, & si errarem etiam nulla mihi ratione honestissimum atque dulcissimum errorem eripi paterer. Ut enim taceam heroes quorum virtutes diuinis scriptis atque elegiis celebratae sunt, nulla mentem meam subit suauior atque dulcior cogitatio, quam cum animo reuoluo ea quae de humani generis decoribus nobis conseruauit historicorum industria. Socratem enim, Sabaconem, ^(a) Cyrum, Xenophontem, Aristidem, Fabricium, Numam Pompilium, Virginium Rufum, ^(b) Platonem, Quinctilianum, Plinium iuniorem, Traianum, Antoninum piū atque philosophum, Titum, Catones, Laelium, Atticum, Papinianum, Eduardum sextum, Mornaeum, Walsinghamum, Neutonum, Burrhum, Iunium Blaesum, ^(c) Heluidium Priscum, ^(d) P. Cornelium Scipionem Aemilianum Africanum, ^(e) Fridericum Wilhelmum, magnum electorem dici solitum, ^(f) Fenelonium, Canitium, Ougspurgerum. * Hos, inquam, aliosque eis similes homines quis sine voluptate atque admiratione cogitare potest? Quamuis enim & hi sine dubio humani multum passi sint, eorum tamen virtutes vitia plurimum superauisse videntur, eosque omnibus bonis amabiles atque venerandos reddunt. At hi si eos cum malis conferas quos omnia tulerunt saecula, quam paruus eorum videbitur numerus? quam rari adparent nantes in gurgite vasto?

(a) v. Diod. Sicul. I p. 41.
(b) Tacit. hist. II p. 409.
seq. Plin. epist. II 1.

(c) Tacit. hist. III p. 452.

(d) Tacit. hist. II p. 428. 480.

(e) v. Excerpta de virtutibus & vitiis ex Polybii L. 31.

(f) v. Mémoires de Brandedbourg T. I. p. 104. 108. 113. 124. 139. 150. seqq.

* Hunc immortalitate, quam suis meruit virtutibus, donauit, in poemate de moribus corruptis sub persona Catonis eum laudans, illustris Hallerus, ipse his viris adnumerandus.

§. III.

Paulo minorem sed haud paruam tamen voluptatem adferunt eorum hominum historiae, qui, vel sine sincera illa atque pura virtute vel etiam non sine magnis vitiis, summis ingeniis praediti belli pacisue artibus inclaruerunt, quorum ingentem numerum nobis historicorum offerunt scripta, quique si veram atque ingenuam virtutem ad quam nati fuisse videntur, excoluissent, summa felicitate beassent genus humanum. Quis enim sine voluptate atque admiratione leget gesta scriptaque Sesostris, Alexandri M., Iulii Caesaris, Augusti, Caroli M., Constantini M., Iuliani, Henricorum III. Galliae alterius regis, alterius Romanorum imperatoris, Ottonis M., Fridericorum I. & II., Timurbegi, Caroli Audacis, Caroli V., Adriani, Aristotelis, Senecae, Ciceronis, Christiani Wolfii, Martini Lutheri, Gregorii VII., Leonis X., Alcibiadis, integrorum denique populorum, Atheniensium, Spartanorum, Romanorum, nostrorum tandem Heluetiorum.

§. III.

Auctor eruditissimae epistolae ad Clarissimum Bodmerum datae, quae extat in *der neuesten Sammlung vermischter Schrifen* omnem mouet lapidem, vt probabilem reddat opinionem suam de primaeva vrbis Bernae libertate inuitis omnibus, quotquot de rebus helueticis atque bernensibus scripserunt auctoribus. Hi enim omnes Bernam conditori suo Bertoldo Zaeringio paruissse testantur. Nec mihi certe verisimile videtur ducem magnum atque dominationis cupidum urbem condidisse eum solum in finem vt ea, quae vix iustum vicum aequabat, negotium eius inimicis facefferet, cuique diceret: Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor; nec vt ipse ei imperaret, eaque tamquam sua vteretur. Si in hac vrbe condenda interuenit auctoritas imperatoris, si extant vel extiterunt instrumenta, quibus viuo adhuc Zaeringio immunitates huic vrbi concessit,

cessit, Henricus VI. vt vult Laufferus (a), vel Otto III. (b) T. III. p. 3.
 vel certe Fridericus II. (c) * hoc nihil plane ad rem facit. (b) v. Guillimann. de Rebus heluet. III. 8.
 Notissimum enim est in vrbibus condendis, in concedendis eis immunitatibus, in legibus eis ferendis nihil antiquitus sine imperatorum auctoritate potuisse duces principes-ue. ** Hinc sine dubio orta est fabula de traditione vrbis Bernensis imperatori a Bertoldo facta, quam recte reiiicit acutissimus supra laudati opusculi auctor, sed cui male substituit primaeuam huius vrbis libertatem, fabulae magis probabili minus probabilem. Falsissimum enim est vrbes in imperii feudis sitas eo ipso imperiales fuisse, cum sexcenta exempla contrarium doceant. At recte tamen doctissimus vir contendit ipso iure Bernam ad imperium peruenisse. Ditissima etenim Zaeringiorum gens diuersi generis possidebat bona. Allodialia, vel ea etiam quae quondam allodialia oblata *** facta sunt feuda ad haeredes domus Zaeringicae etiam per feminas descendentes perueniunt, Vracenses atque Kiburgenses comites. (d) Ea vero Zaeringiorum bona quae simpliciter imperii feuda erant ad imperium antiquo more redierunt. Ita quae in Turgouia atque Tiguri iis competierant iura Fridericus II. recepit; (e) ita comitatus provincialis Burgundiae Strassbergenfibus (f) comitibus obtigit, sine dubio ex concessione imperatoris; a quibus tamen deinde per feminas ad Buccheccenses peruenisse videtur. (g) An itaque adeo in epte coniciemus urbem Bernam in imperii solo conditam extincta Zaeringiorum stirpe, sine vlla traditione ipso iure ad imperium rediisse? Nec omnino argumenta huius rei nobis defunt, cum ipse auctor eius dissertationis plurima adferat documenta, quibus probat imperatores post extinctos Zaeringios plurimos nobiles infeudasse ditionibus Bernae adiacentibus, quod certissimum est argumentum eam regionem ad imperium rediisse. Bernam vero recepit Fridericus II, (h) & immunitatibus quamuis haud adeo magnis donauit, cum funestissimis iis temporibus imperatores

(a) T. III. p. 3.
 (b) v. Guillimann. de Rebus heluet. III. 8.
 (c) Etterlin p. 72.

(d) v. Albert. Argentinensis Chron. p. 90. Guilliman. Heluet. I. 2. c. 15.

(e) v. Hartmanni Annales Eremitarum ad a. 1218.

(f) v. Albert. Argent. p. 167.

(g) v. eundem in eodem commentario de gestis Bertoldi a Buchecke episcopi Argentinensis. (h) Extat passim eius Bulla aurea Bernensibus data.

Adiecit eam Clariss. Lerberrus egregiae suae commentationi de fontib. iur. patrii.

tores a pontificibus & principibus depressi ciuitates potentes & sibi amicas omni opere reddere studerent. Hanc a tam paruis initiis profectam libertatem Bernenses virtute, prudentia atque fortuna sua adeo auxerunt, vt vsque ad CCCL. vrbis suae annum imperium sibi parauerint vix minus eo quod pari tempore adeptus est princeps terrarum populus Romanus.

(i) v. Fragmentum historic. incerti auctoris apud Vrstif p. 89. Chronic. Gottwic. p. 445.
(k) Annales Dominic. Colmar. ap. Vrstif. T. II. p. 1.
(l) de superioritate territoriali §. 18. v. & de l'esprit des Loix XXXI. c. 8.
(m) de feudis oblati P. II. §. 40.

* Meminit Etterlinus litterarum imperialium A. C. 1209. datarum, quas Friderico II. tribuit; at si imperator aliquis eo anno huiusmodi diploma concessit, potius crederem eum fuisse Ottonem III. nam A. C. 1209. nondum imperabat Fridericus II. (i); vigeatque adhuc potentia Ottonis III., quae demum aliquot annis post 1209. euauit; nam auctoritati suae superuixisse Ottonem III. omnibus notum est. (k)

** Quamuis & saepius potentiores duces vel principes iura ciuitatis tribuisse exemplis doceat Hertius, (l) quae tamen si excuterentur vix sufficerent ad infirmendam eorum sententiam, qui hoc ius antiquitus imperatoribus competiisse statuunt. v. & Schottel de singularibus & antiquis in Germania iuribus. c. XI.

*** In quibus feudis feminae, quamuis haud iure ordinario, ex pactis tamen adiectis saepius succedere solent, qua de re v. grauiter differentem Hertium. (m)

§. V.

Plurima certe eaque attentione dignissima phaenomena politica nobis offert historia eius imperii quod Sacrum Romano - Germanicum vulgo audit. At nullum magis admirationem nostram mereri videtur quam fata auctoritatis atque maiestatis summi in hoc imperio principis. Haec a summo regiae & plus quam regiae potentiae fastigio paulatim adeo decreuit, vt inde a centum annis vix aliud amplius sit quam augustissima dignitas, coniuncta cum potentia atque auctoritate haud multum superantibus iura capitis iustae alicuius reipublicae. Causae certe atque rationes quibus paulatim plenitudini imperatoriae maiestatis tot tantaque iura decesserint, & paulatim extiterit haec anomala regiae dignitatis imago, indeque emerferit abnormis imperii

imperii forma, dignae sunt quae accurate perpendantur. Inuabit pauca ex vastissima materia delibasse. Notum est prudentibus atque egregiis Caroli M. institutis, omnem superiorum temporum anarchiam sublatam (a), summamque imperii auctoritatem ita stabilitam fuisse, ut si indiuisibile reddidisset regnum, eiusque quemuis alium, quam Ludovicum piū, haeredem habuisset Carolus M. labefactari nulla ratione potuisset. * Post Carolum M. tamen eodem quo ipse iure regna eius gubernauerunt eius posterī, eademque fere ratione, nisi quod denuo introductis ducibus ipsi fouissent homines qui quondam regiae auctoritati fatales futuri erant. Hanc sortem & in episcopis experti sunt imperatores, quibus iam inde a Caroli M. tempore a regibus tradita sunt arma quibus deinde omnem subuerterunt regiam maiestatem. In Saxonia enim iam Carolus M. episcopis paulo maiora tribuerat iura, ** ut per eos feroces populos & cohiberet, & mitigaret. Ipse etiam eiusque successores fiscum suum magnis in episcopos atque abbates collatis donationibus paulatim exhauserunt. *** Exstincta Carolingorum mascula stirpe succellere eorum descendentes feminini electione quidem statuum sed tali quae potius liberior & sollempnis quaedam erat declaratio iusti haeredis, quam iusta electio, qualis hodie fieri solet. **** Saxonica certe familia quam fortiter imperauerit Germaniae, imperiumque restaurauerit omnibus notum est. † Huius familiae imperatoribus omnia adhuc maiestatica iura indubie competiisse, ab iisque precario tenuisse duces, tam certum est quam quod certissimum, quidquid egregius archiprincipatuum faber Ludewigius de sublata post Carolingorum tempora regni unitate somniet. Duces suas dignitates neque Conradi I, neque Ottonis I. tempore plane haereditario iure possedisse ex eorum temporum monumentis in aperto est. (b) Quantam Otto M. in imperio potestatem atque auctoritatem exercuerit nemo est qui nesciat. Hunc de ducatibus

libere

(a) Auentin.
Ann. boic. L.
III. p. 573.
de l'esprit des
Loix XXXI.
18. seqq.

(b) v. Bessel
Chron. Gott-
wic. L. II.
p. 123. 149.
172. Wippo
in vita Conra-
di Salici. p.
235. edit.
Pitt.

(c) Cranz.
Sax. III. 8.9.
15. 16.

(d) Hermannus contract.
ad 948.

(e) Herm.
contract. ad
A. 947. fragment. hist.
ap. Vrstif.

T. II. p. 82.
(f) Cranz.
Saxon. III.
3. & 5.

(g) Hermann.
contract. ad
1019. & ad
1044.

(b) Otto Frising. Lib. I.
c. 9. de gestis
Frid. I. Otto
de St. Blasio
c. 21.

(i) Cranz.
Saxon. VIII.
19.

libere disposuisse, omnesque in suam traxisse familiam docent antiqua monumenta. Praeter eam enim partem Saxoniae quam Hermannno Billungo (c) concesserat ipse Saxoniam totam obtinebat, filio Leopoldo Sueviam (d), fratri Henrico Bavariam (e), genero Conrado (f) Lotharingiam, quam antea etiam frater Ottonis Bruno, Archiepiscopus Colonienfis rexerat, & Franconiam (f) concessit & pro lubitu rursus ademitt. Imo ne sub Henricis II. quidem & III. indubie (g) haereditarii erant ducatus, maximaque tum omnino erat imperatorum potestas, & sine dubio maius adhuc eorum ius, quod duces rebelles continuis machinationibus oppugnauerunt. Tandemque postquam eorum conniuentia plane haereditario iure sub Henricis III, IIII, & V (h) prouincias suas possidere coepissent, omnia iura maiestatica paullatim ad se traxerunt, regumque auctoritatem omni ratione labefecerunt. Perijt inde vsque ad interregnum magnum, quod vocant, verum enim interregnum tum temporis haud fuit, (i) nisi forte aliquot annorum, omnis regni gloria. Postquam enim primo ducatum, sub Henrico vero V. episcopatum etiam collationem perdidissent reges, pontificum praesertim artibus oppugnati semper, & tandem victi, cumque fiscum suum, & domania sua beneficiis quibus macularunt ingratos principes atque episcopos, iis in eorum perniciem vsuros qui eos tantis opibus bearunt, fere exhausissent; postquam, inquam hac ratione omnis debilitata esset imperii vis, vel nemo amplius potentiorum principum regiam dignitatem adsumere dignatus est, vel illam potenti principi, quique eos in ordinem redigere posset, reliqui confidere haud voluerunt. Hinc eam vel exteris quos diuitiis †† pollere, nimisque impotentes esse ad regni iura recuperanda nouerant; vel comitibus aliisque germanicis principibus, quorum eandem fere esse conditionem ††† sciebant detulerunt; quorum illi res imperii vix attin-

attigerunt, hi vero imperii maiestatem minus quam proprias suas opes curauerunt, tandemque quod antiquorum imperatorum profusio reliquum fecerat, omnino principibus ecclesiis atque ciuitatibus †††† contulerunt. Notae sunt praesertim de Carolo III. atque Wenceslao (k) imperatoribus querelae historicorum atque politicorum. Nactum est tandem imperium rursus imperatores, qui simul & animi magnitudine, & opibus fatis pollere videbantur ad restituendam imperatoriam maiestatem, quosque spes, quae iis adfullerat eam ad posteros transferendi, ad eam augendam atque firmandam excitare debebat. At neque virtus, neque sapientia egregiis principibus Carolis V; atque Ferdinandis ad firmandam regni maiestatem suffecere. Iis enim, praeterquam quod exteri principes Sueci praesertim Gallique (l) omnes vires intenderent ad eorum labefactandam potentiam, ad homines sibi deuinciendos fere nullum aliud supererat medium, quam diuitibus atque potentibus comitibus ornamenta principalia concedendi, & ea ratione in senatu principum maiorem votorum numerum sibi conciliandi; Sed euentus docuit aliud esse ducatus atque episcopatus, aliud inanes honores atque titulos conferre. Victrix tandem principum causa & haec infirma arma imperatoribus eripuit; tandemque per pacem Westphalicam, & capitulationes caesareas exstitit respublica cuius similem nulla, unquam viderat aetas, & quae monstrosa sua forma omnia aegrotorum deliria superat.

(k) v. Limnaeum T. I. ad l. 2. c. 11. p. 265. Auentin. Annal. Boic. L.VIII. p. 818. 819. Theod. de Niem. hist. Schifmat. L. II. c. 25. L. III. l. 31. & 33.

(l) v. Memoires de Philippe de Mornay Vol. I. p. 162. 265.

(m) ap. Schilter. instit. iur. publ. T. II. (n) Sax. II. 23. v. & de l'esprit des loix XXXI. 19.

- * Quam exigua sub Carolingis fuerint principum iura nos docent patet actiones posterorum Ludouici Pii. (m)
- ** Teste Cranzio (n), & diplomatibus foundationum ecclesiarum Brementis (o), & Verdenfis (p), quorum tamen authenticam dubiam reddit doctissimus Conringii commentator (q), post Papebrochium. Ea vero iura quae paullatim sibi adseruerunt episcopi, & quae nimium quantum aucta sunt originem suam debere iis iuribus quae ipsis a primis imperatoribus christianis tributa sunt vix dubitari potest; Operae pretium est hanc in rem euoluere tit. Cod. Iust. de episcopali audientia; & Nouell. Iust. 8. 86. 128. 134. 123.

(o) ap. Cranz. Sax. II. 15. (p) ap. Conring. de finibus imp. germ. L. I. c. 4. not. c. (q) Hert. de fide diplomatum imp. ac regg. Germaniae. S. I. §. 15. not. *

*** Ita omnes Galliae opes aliquoties in manus ecclesiasticorum perueniunt.

(*r*) v. Illust.
Montesquieu
de l'esprit des
loix XXXI.
10.

(*s*) v. Obrecht.
prodr. rerum
Allat. c. VII.
p. 102. & Her-
tium de fide
diplomatum
impp. & regg.
germ. §. 1.
Sect. 2. Wip-
po in vita Con-
radi Salici.
v. & de l'es-
prit des loix
XXXI. 17.
(*u*) Chronic.
Bauar. L. III.
p. 593. 597.
604. 608. leqq.
(*x*) Saxonia.
III. 21.
(*y*) v. Gewold
de Septemni-
ratu
c. 3. p. 646.
Brunonem in
historia belli
Saxonici ad
1077.
(*z*) L. VI. c.
17. & 24.
Chron.
(*a*) Fragment.
hist. incerti
auctoris ap.
Vrftif p. 93.
T. II. Cranz.
Saxon. VIII.
21. 22.
(*b*) ap. Vrftif.
p. 100.
(*c*) Conring.
de finib. imp.
c. 24. §. 30.
21. 10. 11.

uenerunt. (*r*) Nec ingratus nec inutilis esset labor, si quis per singula eundo inde a primis regni germanici initiis usque ad recentissima tempora erueret ex historiis & antiquis monumentis, quae opes & quae iura regalia paullatim tam ad laicos quam clericos ab imperatoribus peruenerint. Possit is inde quanam antiquitus fuerit imperii opulenta atque maiestas, & qua ratione ad hanc mediocritatem decreuerit clarissimae luci exponere.

*** Omnem sollemnem imperantis agnitionem atque declarationem electionem ab antiquis vocari ex medii aevi glossariis notum est. At libera tamen aliquomodo huiusmodi agnitio fuit. (*s*) Docetque nos vetus anglica historia, (*t*) saepe regum fratres, vel ex fratribus nepotes regum filiis praelatos fuisse. De Germania videndi Auentinus (*u*) & Cranzius (*x*); & hinc crederem paullatim plane electuum factum esse imperium, artibus praesertim pontificum (*y*), & eo semper magis, quo magis creuerat, principum potentia.

† Otto Frisingensis (*z*) docet qua ratione ad Germanos redierint imperium, & Italia, quae utinam res suas semper separatatas habuissent, num quamtam misere agitata fuisset nobilissima Germania.

†† De Richardo notissimum est eum rursus coactum fuisse in Angliam redire cum ipsi pecunia deficeret. (*a*)

††† Qua ratione regnum obtigerit Rudolpho primo sat lepide narrat Albertus Argentinensis; (*b*) cui principi mira felicitate, quam ipsi vix inuidere censeo nostri saeculi homines, plures obtigerunt filiae collocandae, quibus regiam dignitatem potissimum debuit.

††† His praesertim, quae misero illo tempore quamuis satis pauperes, satis tamen diuites erant ad ipsos imperatores regesue (*c*) corrumpendos; satisque animosae ad reges seque ipsas aduersus duces comitesque, qui latronum more urbibus tum inhiabant, & aduersus imperatores rebellabant, defendendos. Hinc enata magna illa multaque ciuitatum foedera, quae & ipsos imperatores fouisse omnes norunt, & ex Dattii opere de pace publica clarum est. Nec scio annon, quod vltimum horum foederum fuit Sueuicum, Maximiliani I. fortissimi atque regnandi vti digni ita & cupidi principis auspiciis conditum, si feliciorum habuisset successum praecipuum regiae auctoritatis firmamentum fieri potuisset. Hoc sine, si eum sibi proposuit, magnanimus imperator, vix excidere potuisset, si tam felici ei esse licuisset, ut foederi huic accederent Heluetii. At hi, qui foederi huic maximum robur addidissent, haud imprudenter fortasse, nec minus feliciter virtute sua, id labefecerunt; qua de re praeter nostrates videndus Bilibaldus Birkheimerus, qui ipse bello inter Heluetios & Sueuos gesto Norimbergensium dux interfuit, & bellum, vel potius latrocinium hoc atrocissimum, duobus libris descripsit.

* Quod egregie demonstrat in Monzambano suo Samuel Puffendor-
fius,

fius, recentiorum civilis doctrinae auctorum facile princeps; quo nemo melius acutiusque reipublicae germanicae formam diiudicavit; quique fortasse melius adhuc eam diiudicauisset, si, qualem se dixit, Veronensis omnino fuisset, nec ulli principi addictus; id quod eum aliquando in Placentinorum partes traxisse videtur, ut puerili forte, sed Iurisconsultis quibusdam usitato, verborum lusu utar.

§. VI.

Habuit magnos atque grauissimos legumlatores Roma, legibusque suis haud minus immortalitatem meruit, quam ciuium suorum fortitudine, vastoque per eam parto imperio; imo eo magis quo magis virtus, iustitia atque sapientia iniustitiae atque concupiscentiae praestant. At inter legislatores Romanos primum locum neque XII. Tabularum auctoribus, quidquid de earum praestantia forte haud immerito gloriatur Cicero, neque Iustiniano M. meritis legum compileribus adsignarem. Horum posterior vidit equidem quanta sit gloria orbi terrarum leges tulisse, & prouti erat gloriae cupidus hanc etiam victoriis suis adiacere voluit. Verumenimvero nec ipse nec eius baiuli mente concepisse videntur operis incepti magnitudinem, nec quanta legumlatoris cura esse debeat ad vnum aliquem summumque finem totius reipublicae statum formamque, imperantium atque parentium ingeniis atque conditionibus congruum redigendi, omnesque leges ita ordinandi ut nulla non eo collineet. Id praesertim necesse erat per plura saecula adeo immutato rei Romanae statu. Sed facilius erat magnificos atque ventosos prologos scribere, legesque, & cellissimorum ingeniorum effata raptim consuere, quam inde iustum & praesenti reipublicae statui accommodatum legum corpus formare, & denuo excogitare quae publice salutaria essent. Scribere enim omnes possunt, sed cogitare quae digna sunt quae scribantur pauci solummodo, iique quos aequus amauit Iupiter. Huic rei fortasse magis tribuenda est Iustiniani Tribonianique in

legibus figendis & refigendis inconstantia, quam corruptioni atque impotentiae eorum; quamvis haud is sim, qui eos omnino defendere velim. At inter Romanos legislatores vix quemquam praestare Romulo atque Augusto, neminem non concessurum confido. Inter omnia enim humana instituta vix quidquam sapientius, sanctius, prudentiusque reperiri puto, legibus Romuli quas nobis Dionysius Halicarnassensis atque Plutarchus exhibent; saepiusque succenseo Romanis scriptoribus, qui de urbis suae conditore fere nihil nisi ineptas fabulas de eius conseruatione, de augurio ancipiti, de Remi caede, infame asylum, raptum Sabinarum, aliaque huius commatis narrant, eorum incuriosi quibus vere magnum atque sapientem se praestitit, quae Graecis praedicanda reliquerunt. Augustum vero nulla re primorum annorum crudelitatem, fortasse necessariam, magis expiasse censeo, quam legibus sapientissimis quibus cupiditatem, libidinem, abominanda scelera saeculi luxu atque licentia perdit * reprimere, quamvis incassum (a) studuit, expertus veritatem dicti Horatii sui, nihil vanas sine moribus proficere leges. **

(a) Tacit.
Annal. III.
p. 93. 106.

* Nescio an ad leges Augustaeas respexerit grauissimus auctor opusculi quod inscribitur: Des avantages & desavantages de la France & de l'Angleterre par rapport au commerce 1754. Is certe eadem fere ratione qua Papia Poppaea lege Augustus, mederi vellet perditis atque luxuriosi nostri saeculi moribus; quod nimis eheu Augustaeum, in omnibus, si ingenia nostrorum hominum & doctam Romanorum elegantiam excipias, refert.

** In perniciem potius ciuium sequentia tempora his atque aliis legibus abusa esse patet ex crebris vexationibus, ex legibus de adulteriis coercentis & de maiestate, quibus securitati bonorum aequae ac malorum insidiabuntur pessimi principes atque ciues.

§. VII.

Extollunt plerique Seruium Tullium tamquam sapientissimum atque optimum principem, nec ego laude suam fraudare vellem. At nescio annon nimis indulgentes
in

in eum fuerint historici. Primo enim non omni labe caret ratio qua regnum sibi parauit exterus, & serua quamuis antea regina natus (a) homo, quidquid de eo prodigiis suis declarauerint Dii. (b) Deinde pessimo instituto primus hic fuit, qui plebi quantum possit monstrauit; quique maluit ei regnum debere, (c) quam iustum regiorum pupillorum tutorem agere, qua ratione omnibus qui libera etiam republica regnum, vel improbam potentiam adfectabant, viam praeiuit, qua perderetur res publica. * Tertio loco nihil fere reipublicae maius detrimentum attulit quam huius regis institutum quo serui manumissi in IIII. tribubus vrbanis censebantur, & ita ciues fiebant; (e) ** quod institutum ipsi quidem maiorem hominum numerum, a quibus diligeretur, quique ei addicti essent, comparauerat, at rempublicam etiam paullatim pessimis ciuibz onerauit; quamuis iniustus esset qui omnia ei imputaret mala, quae praeuidere haud poterat, & quae hinc orta post plura saecula, Romanam rempublicam inquinarunt, (f) quibus prudentissimis legibus Fusia Caninia, & Aelia Sentia (g) obuiam iuit Augustus, quem inuidiose propterea reprehendit Iustinianus.

(a) Dionys. Halicarnasensis L. IIII. sect. 1. Liv. I. 40. 41.
(b) Liv. I. 39. Dion. Hal. l. c.
(c) Dionys. Halic. IIII. 2.

(e) Dionys. Halic. IIII. 2.

(f) Dionys. Halic. IIII. 3. v. & Tacit. Annal. XIII. p. 246. seq.

(g) De his optime meritis est Illust. Heinemannus, in antiq. Romanis.

(b) v. Cominaei Comment. III. 7. p. 175.

(i) v. Tacit. Annal. L. III. p. 87.

(k) v. Diod. Sicul. L. XIII. p. 380. seqq. & 398.

* Tyranni omnes bonis infensi, plebi adulantur. ita tyrannica omnino Eduardi IIII. vox: Seruate plebem, occidite optimates; (b) (bonos viros, gens de bien.) Ita etiam Piso deterrimos militum fouisse, in optimos fauuisse accusabatur. (i) Eaedem fuere Dionysii artes. (k)

** Iis tamen demum tempore Appii Claudii ius suffragiorum, & ita plenum ius ciuitatis datum esse narrat Plutarchus in Publicolae vita.

S. VIII.

Habuit & antiquitas suas migrationes gentium, habuitque, ante conditas graecas romanamque respublicas, eandem fere sortem Europa nostra, quam post imprudenter a Constantino M. nudatos occidentis fines * experta est. Plurima hinc inde huc facientia reperiuntur apud antiquos,

tiquos, graecos praefertim, auctores. Dionysius Halicarnasseus magnam partem libri primi Antiqq. Rom. expleuit enumeratione variarum gentium quae diuersis temporibus Italiam occupauerunt. Plerosque hos populos qui Graeciam atque Italiam inuaserunt ibique respublicas condiderunt, septentrionales fuisse, vti & fuerunt eae quae saeculis christianis V. VI. & sequentibus Gallias, Italiam, Hispanias, & Africam inundauerunt, veri perquam est simile. Celtas hos populos, Gallosque, ab antiquis (a) nominatos fuisse, omnibus notum est. Graeci equidem scriptores, vanissimae gloriosissimaeque genti suae velificantes, vel historias suas eo tempore scribentes vbi variis casibus temporumque iniuria huius originis memoria paulatim euanescebat, ** nolunt gentem nobilissimam a barbaris *** originem trahere. At reliquerunt huius rei tot tantaque monumenta hinc inde in scriptis suis dispersa, vt ea a viro eruditissimo Simone Pelluterio in sua Celta- rum historia collecta fere iustam huius rei demonstrationem historicam mihi efficere videantur. Sed haec harum rerum peritis diiudicanda relinquo. Vnum addam, quod obseruauisse fortasse iuuabit, fortasse etiam inane atque ineptum videbitur; sed quoniam ad diiudicandum celebratissimum in patria nostra historia factum facit, forte haud spernendum. Quae communem originem habuerunt gentes, apud has naturale est reperiri communes de magnis suis viris fabulas, quarum quaeuis sibi soli tribuat, quae vt ita dicam ad communes parentes referenda sunt, (b) Vnum quod apud Dionysium Halicarnasensem reperio huius rei exemplum notasse sufficiat. Narrat is (c) de conditore vrbis Curetum Modio Fabidio eadem fere prodigia quae de Romulo omnes vno ore narrant historiae Romanae scriptores. Quid magis probabile hinc concludi potest quam eandem hanc esse fabulam longe antiquiorem Roma Curibusque? An idem de Guilhelmo Tello Tochone- que dicamus? Quae de Friedleuo, Frothone, & Winckel-

(a) v. Diod. Sicul. Biblioth. L. V. p. 214.

(b) v. Diodorum Siculum I. I. II. III. & V. & L. XII. p. 299. & XIII. p. 347.
(c) L. II. 6.

ckelriedio, Olaus Magnus, Etterlinus aliique narrant eisdem videntur commatis. Liceretne altius adfurgere, & Vlyfsem **** in Tochone, Herculem aliosque de quibus eadem fere fabulas narrant Graeci in Frothone, Friedleuo vel Starcatero quaerere? Sed vereor ne hac ratione fabularum scrutatores fiamus fabularum conditoribus ineptiores; praefertim cum iam Aegyptus & Africa sibi plerosque Graecorum deos heroesque vindicent. (d)

* Quam prudenter & egregie imperii finibus prospexerit Augustus, & quam imprudenter omnia mutauerit Constantinus M. late explicat Onuphrius Panuinius in libro de comitiis imperatoriis. (e)

** Graecos vti in omnibus fere rebus ita & in historia pueros semper esse, nec quemquam e Graecia senem Soloni iam obiecerunt sacerdotes Aegyptii. (f)

*** Hinc singularis apud Platonem (g) distinctio eorum qui vere Graeci, & eorum qui natura barbari Graeci lege solummodo sunt, & studium quo Dionysius Halicarnass. (h) probare contendit, Romanos graecae non barbarae originis esse. Et Diodorus Siculus Barbaros Graecis antiquiores esse statuentem Ephorum notat. (i)

**** Ad Vlyfsem iam prouocauit Clarissimus Sprengius ad Etterlinum p. 29. sed demonstraturus inde veri similia esse quae de Guiljelmo Tello, libertatis suae strenuo adfessore, narrant Heluetii.

§. VIII.

Nimis prudentiae atque calliditati Tiberii Tacitum, nimis vero casui atque fortunae Sallustium in historiis suis tribuere contendit Sanrealius. (a) Haud equidem negarem Sallustium, qui ipse, quamuis grauissimis sententiis tamquam gemmis scripta sua distinxerit, in diem vixisse fertur, aliorum actiones casui atque naturali rerum conuersioni tribuentem, Tacitum vero ipsum prudentem sapientemque calliditati atque adstutiae Tiberii omnia adferentem, proprios mores incautos prodidisse. At haud dixerim eos iniuria sui saeculi hominibus eadem tribuisse ingenia. Luxu enim atque licentia perditissimo Sallustii saeculo, quo inter libertatem atque tyrannidem iam fluctuans respublica, summa laborabat confusione, omnia fere casu & vti fortuna,

(d) v. Diodorus Siculus Bibliothec. I. Sect. 1. p. 14. III p. 132. III. passim. (e) c. I. § 12. & c. III. Tacit. Annal. III. p. 121. Hist. I. p. 350. (f) v. Platonem in Timaeo p. 475. (g) in Menexeno p. 358. (h) Per totum L. I. & praefertim in fine. (i) Biblioth. I. p. 6. (a) Observations sur la fortune. T. II. des oeuvres de M. l'Abbé de St. Réal. p. 57.

(b) v. Tacit.
Annal. XIII.
p. 242.

(c) Hist. I. init.

tuna ferebat acta fuisse veri quam maxime est simile, paucissima hominum prudentia atque sapientia, quae in tam misero rerum statu, libertate ac seruitute vrbi & orbi aequae periculosis, nihil certi cernere poterant. Tiberii vero tempore, cum excusso Deorum metu, homines eo magis metuere coepissent Romani, suspiciosus atque inuisus princeps, summae potentiae compos, sub aliqua libertatis specie omnia manu sua gubernans, oppressis ciuibus, quos memor fortis C. Iulii Caesaris non minus metuebat, summam iniecerat sui formidinem. Haec omnia calliditatem, dolum, fallaciam, simulationem & ciuium & principis animis ingenerauisse maxime est probabile. (b) Ita vt iis temporibus quae nobis describunt Sallustius & Tacitus, eos hominum mores, quales eos nobis depingunt, fuisse, necessarium fere fuerit. Adsentior tamen Sanrealio, qui in rebus humanis, casui & fortunae, vel vt verius dicam, prouidentiae omnia, prudentiae vero & sapientiae humanae, paucissima tribuenda censet, quod nec ipse negat Tacitus; is enim egregius scriptor, vt bonum historicum decet, historias se scripsisse profitetur: *vt non modo casus euentusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur.* (c) Id quod non minus praestitit Sallustius.

§. X.

Qui nostro saeculo historias scripsit Voltairius, is vt ingenium ostentaret omnia selegit, quae acutis disertiis anasam praebebant, epigrammatum potius quam historiarum scriptor. Curtius, Liuius, Florus tamquam rhetores historias scripserunt. Plutarchus, Xenophon, Polybius, Dionysius Halicarnasseus, Cominaeus, prudentes, bonos, atque sapientes viros se in historiis suis exhibent.

§. XI.

§. XI.

Inter magnos atque praeclaros viros quibus Heluetia nostra gloriari potest, haud vltimum locum meretur Sanctus Nicolaus de Rupe. (a) Hic postquam strenue reipublicae praefuisset, per longum deinde tempus sanctam & solitariam vitam egit; & miraculis etiam inclaruisse fertur. Maximum tamen ejus miraculum, & quo solo immortalitatem meruit, fuit seruata patria, paxque & concordia restituae. Finitis quippe bellis burgundicis ob inaequalem praedae diuisionem aliasque varias causas, haud paruae in Heluetia ortae sunt turbae, dissensionesque inter vrbes quae aristocratica aliquatenus, & pagos qui democratica plane utebantur regiminis forma. (b) Auxerant reipublicae mala suspiciones ortae ex foedere quod Tigurini, Bernenses, & Lucernenses cum Friburgensibus atque Solodurenfibus pepigerant, praetextentes pericula imminetia ex insolenti licentia societatis vitae fatuae, (c) sed reuera fortasse, ne apud eos introduceretur absoluta democratia, id quod pagi, praesertim Suitenses, tum intendisse videntur, * vti ex pacto Stantiano colligere licet, & quod se velle paullo post aperte demonstrarunt. (e) Hae turbae suspicionesque res helueticas pessumdare potuissent, nisi magni huius viri prudentia atque auctoritate sedatae fuissent. Auctor is fuit condendi pacti Stantiani, atque Friburgenses Solodurenfisque in foederatorum numerum recipiendi, abolito priuato ciuitatum foedere.

* Crediderunt sine dubio se tum in iis rebus publicis maiore auctoritate potituros. Ita Lacedaemonii Atheniensesque socias ciuitates suo more regi voluerunt (e) Haud imprudenter tamen Athenienses aliquando maluerunt socias ciuitates, contra suum morem ab optimatibus regi. (f)

(a) v. Annales
Eremitae Deiparae
matris ad
a. 1480.

(b) Stumpf.
XIII. 21.
Lauffer VI. 4.
Schilling de
bello burgund.
p. 143.
145. 192. seq.
230. 238. 290.
338. 341. 165.
(c) Stettler
T. I. p. 271.
seq. Schilling.
I. c.

(d) Stettler
T. I. p. 312.
324. Lauffer
T. VI. p. 189.
seq.

(e) v. Xenophon de reb.
Graec. L. II.
fere in fine.
Diodorus Sicul.
L. XIII.
p. 356. 388.
XIII. p. 395.
seq. XV. 400.
402. 480.

(f) Xenophon de republ. Athen.
§. 58.

§. XII.

(a) Polyb.
hist. II. 38.

(b) Lauffer.
T. XIII.

Achaeorum morem, qui novis sociis omnia eadem quae antiquis iura tribuere solebant, (a) haud imitati sunt Helvetii, & vix sine imprudentia imitari potuissent, nisi totam reipublicae suae formam mutare voluissent, id quod tentavisse videntur illi qui de foederibus in vnum redigendis superiore saeculo cogitauerunt. (b) Nec scio annon melius se haberent res helveticae si, vti quibuldam Cantonibus, ita omnibus iura foederum, bellicae & pacis, sine communi reliquorum vel maioris certe partis consensu, exercere haud liceret.

TANTVM.

